



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Voluntas propria quanta mala in nobis operetur; vtq[ue] ea exuenda fit; &
vti ipsa omniu[m] malorum & afflictionum sit causa Can. XXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

sine discussione. Quod vt possis liberius, non respicias ad hominem, qui mea tibi ordinatione est superior, quam doctus, quam ve idoneus sit, non aduertas nec penses an doctus illiteratus ve sit, præstans an vilis: sed hoc tantum respicias quod mea prouidentia tibi datus est superior, per quem ego te regere volo, & in quo me tu de- bes consulere & audire. Itaque hanc prouidentiam meam attende, qua non minus per simplicem quam erudicum (imò per quencunque volo) te regere, & mihi sub- iicere cupio.

Quapropter sine vilo scrupulo, sine vlla formidine te subiicias oportet, & post- habitis consilio tuo ac prudentia, huius tantum iudicio ac sententia te subternas: quicquid ille diffinierit, quicquid statuerit, ex ore eius tanquam ex ore meo ample- ctere. Idem namque seruis meis superiores interdum parum literatos, aut minus ex- ercitatos constituo, ne humanam sapientiam, aut hominem quærant in homine, quando potius in homine me Deum suum quærant, qui per simplicem hominem (si considerare possunt) non minus eis respondeo, quam per doctum. Atque idcirco ip- si quicquid responsum, quicquid ve consultum audierit, non vt ab homine, sed ex me recipiant, mihiq; & meæ directioni tribuentes omnia, & nihil ascribant huma- næ, siue prudentiæ, siue simplicitati. Si igitur non vis falli, amplectere viam obedi- entia, & citra Prælati aut spiritualis patris, aut superioris tui iudicium nihil pro- fus age. Viue semper in simplicitate & paupertate spiritus, sine vilo proprio iudicio, sine proprio consilio, sine proprio sensu, & sine proprio videre: nec vllam admittas quærandi, seu murmurandi occasionem. Hoc melius semper æstimans quicquid superior tuus, aut, si ille defuerit, quicquid alij melius iudicarint, quamdiu manife- stum id non fuerit peccatum. Et idem ad plenam voluntatis propriæ internotionem, debes non solum sub obedientia hominis stare, sed omnibus etiam creaturis te sub- iicere propter me. Aded nanque in te odisse debes voluntatem propriam, aded illam debes extinguere, vt inter homines viuas vbicunque fueris: non aliter ac si absque voluntate propria fores, hoc est, ac si nullam prorsus electionem haberes: sed om- nia tibi euentia indifferenter acciperes: hoc solo excepto, quod aliena semper tibi voluntas (vbi didiceris) magis placeat, & hoc excluso peccato, seruataq; honesta- te & discretionem. Proinde omnibus hominibus hoc modo consentias in his quæ tua sunt, id est, quæ te solum respiciunt, ac si omnibus promississes obedientiam. Imo vbicunque etiam sola fueris, non facias voluntatem propriam tanquam propriam, sed omnem vitam & omnia exercitia tua ordina ad tui abnegationem: hoc enim melius est tibi quam paradysus. Sine igitur per internam inspirationem, siue per scripturarum, siue per superiorem, siue per creaturam aliquam, aut alio quocunque modo voluntas mea tibi innotuerit, quando cumque etiam intus à me admonita fueris, mox contempta omni proprietate consilij, iudicij, voluntatis, opinionis, a- moris, inclinationis ve relinque te, & sequere meam voluntatem. Discas autem sa- pienter oportet, quæ sit voluntas mea, nec cum te spiritum putaueris sequi meum, sequaris tuum, aut erroris deceptionis ve spiritum. Eam obrem omnia age per iudi- cium tui superioris, & eius voluntati plene te submitte.

*Voluntas propria quanta mala in nobis operetur: vtq; ea exuenda sit:
& vti ipsa omnium malorum & afflictionum sit causa.*

CANON. XXII.

Rff

Nihil

In Prælati
nostris quæ-
nam contē-
plari debeat
mus.

Prælatos
minus eru-
ditos ac sa-
pientes cur
Deus præpa-
rat electis.

Simpliciter
quinā sem-
per viuendū.

Voluntas
propria quæ
to sit odio
persequenda.

Nihil te potest torquere & filia, nisi voluntas propria: cui si mortua fueris, nullam te lædere potest creatura. Quæ enim te lædere potest creatura, tu tibi-
 bijpfi mortua fueris? Hoc est, si in te mortua fuerint hæc verba, aut potius
 horum verborum affectus, videlicet ego & me, & mihi, & meum; hoc est, si nullus
 in te fuerit respectus proprius. Quis te læderet, quando ego in te vivo, & tu in me
 cui resistere non potest, sed cogitur seruire omnis creatura. Cæterum, si voluntatem
 propriam tenere aut sequi volueris, omnia tibi resistent, omnia te impugnabunt,
 & velis nolis, nequaquam euades providentiam meam, tametsi hæc cruci, non con-
 solationi tunc futura sit. Porro, si voluntatem propriam exueris, pacem gustabis
 internam, & gaudium propriæ voluntati incognitum. Nihil enim perturbat mun-
 dum, nisi voluntas propria. Propterea dixi discipulis meis: In mundo, id est in illis
 quæ mundi sunt, hoc est, in desideriis propriis, quibus mundus aridet, *presens
 habeatis: sed confidite, quia ego vici mundum, ut & vos in me vincatis, & in me pacem
 habeatis.* Incipe igitur & in omnia desideria mundi, omnemque amorem privatum
 in te radicatus extirpare ac mortificare.

Alioqui, quomodo potes vincere mundum aut diabolum, si habeant ipsi exerci-
 tum suum, hoc est, vitia intra te? Et ecce primum quicquid est mihi contrarium intra
 te, quicquid etiam pugnat contra te, quia diabolus aut mundus non possunt te vin-
 cere aut impugnare, nisi per ea quæ possident in te.

*Amici nostri veri ut sint ij qui nos persequuntur & affligunt: relicta
 abnegatioq; nostri ipsorum quænam bona in nobis operen-
 tur: tritari quas ob causas solum debeamus.*

CANON XXIII.

Quicumque tua vitia persequuntur, qui te præmunt, qui te tibi ostendunt, qui
 tibi ante oculos, infirmitatem tuam constituunt: qui denique te offendunt,
 hoc est, qui lædunt in te propriam tuam voluntatem (neque enim te læderet,
 nisi propriam haberes voluntatem propriamve amorem, quæ sola læduntur, qui
 itaq; quod dixi, voluntatem in te propriam lædunt, qui immortificationem pro-
 priam tibi ostendunt, amici tui sunt, tibi benefacientes. Hos tu amare, simulq; ga-
 dere deberes, quod pessimo aduersario tuo, eiq; qui solus perniciosus est hostis, hoc
 est, internæ proprietati persequutionem inferunt. Vnde tu (si prudenter vi hac oc-
 casione velles) tanto fortior euaderes atq; validior, quo magis illa præmeretur.
 Quanto minus eadem proprietatis in te sibi vindicauerit, tanto plus ego mihi in te
 vsurpo & quantum illa abfuerit, tantum ego te possideo: quia proprietatis si nihil ali-
 liud mali tibi adferret, hoc mali secum habet quod me non finit in te operari. Scilicet
 hanc igitur quotidie te infinito bono: quocumque igitur te veritas, non aliam ad me
 reperies viam quam hanc, quam discipulos meos docebam dicens: *Qui vult venire
 post me, abneget semetipsum, id est, relinquat, mortificet, exuat voluntatem propriam,
 & tollat crucem suam & sequatur me.* Incipe igitur, quia sic necesse est. Quicquid reli-
 quis, si te ipsam non relinquis, nihil reliquisti. Atque contra, si te ipsam non amas,
 si te ipsam non possides, si te ipsam mihi relinquis, omnia propter me (licet in me-
 dio diuitiarum & honorum constituta) reliquisti. Quo plus te ipsam fueris egressa,
 tanto

Voluntas
 propria qui
 mali adferat

Omnia que
 eam con-
 turbent.
 Ioan. 16

Amici veri
 qui sint.

Proprietas
 interna quid
 mali adferat

Luc. 9
 Relinqueret
 quam
 quisque de-
 beat.